



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De cœna & conuiuio. cap. v.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](#)

A coram te. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium: vocabisque nomen eius Isaac: & constituam pactum meum illi in foedus sempiternum, & secmini eius post eum.

Dixit Elisaeus: In tempore hoc cras modius similae vno statere erit, & duo mo- 4. Reg. 7.
dij hordei statere vno in porta Samariae. Respondens unus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in caelo, nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

B Dixit Zacharias ad angelum: Quomodo cognoscam hoc? Ego enim sum Ioh. 1.
senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei: Ego sum Gabriel angelus, qui sto ante faciem Dei, & missus sum loqui haec ad te, & annunciare tibi haec. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui, usque ad diem quo haec fiant, pro eo quod non credidisti sermonibus meis, qui quidem implebuntur tempore suo.

Dixit Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus ad eam, dixit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

C Thomas autem unus ex duodecim, qui dicebatur Didymus, non erat cum illis 10. 20.
quando venit Iesus. Dicunt igitur ei alii Discipuli, Vidi mus Dominum. Ipse autem dixit eis, Nisi video in manibus eius fixuram clauorum, & misero digitum meum in locum clauorum, & misero manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo erant iterum Discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio eorum, & dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Et respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei Iesus: Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

De cena & conuiuio.

CAP. V.

D

E COMEDAS cum homine inuidio, & ne desideres cibos Pro. 23.
illius. Quemadmodum enim si quis deuoret crinem, sic manducat & biberit. Quando federis ut comedas cum principe,
diligenter attende quae apposita sunt tibi.

Non est homini bonum sub Sole, nisi quod comedet & Eccles. 8.
biberit atque gaudeat: & hoc solum auferet de labore suo in
diebus vita suæ. Age, comedie in lætitia panem tuum.

Pone mensam: contemplare in specula: comedentes & bibentes surgite principes, arripiite clypeum.

E Viri iusti sint tibi conuiuæ. Vtere quasi homo frugi his quae apponuntur: Ecclesiastes 4.
& non cum manducas multum, odio habearis. Supra mensam magnam sedisti? Non aperias super illam faucem tuam prior. Non dicas, Multa sunt quae super illam sunt. Ne extendas manum tuam prior. Ne comprimeris in conuiuio. Cessa prior causa disciplinæ: & noli nimius esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam.

Dicebat Dominus ei qui se invitauerat, Cum facis prandium aut coenam, noli Lue. 14.
vocare amicos tuos, nec vicinos diuites, nec cognatos tuos, nec fratres tuos: ne forte & ipsi te reinuitent, & fiat tibi retributio. Cum autem facis prandium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Vt autem consentaneum est ante epulas Deum & iuniorum benedicere: sic etiam con- Clemens.

K iiiij